

eorum libertatibus, quibus temporibus diuorum Regum vsi sunt, tenebimus. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum Bude feria secunda proxima post festum Ascensionis Domini. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo.

(Locus Sigilli Regii appressi.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 26.

CXLIII.

Anno 1467. In Korneuburg.

Mathias Rex SS. et OO. Regni Slavoniae jus eligendi Regni Capitaneum confert.

Commissio propria Domini Regis.

Mathias Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Fidelibus nostris Magnificis, Egregiis et Nobilibus ac alterius cuiusvis status et condicionis possessionatis hominibus in Regno nostro Sclauonie constitutis, salutem et gratiam. Cum per hos dies fideles nostros Egregios Nicolaum de Dombo, Ladislaum Hermani de Gereben et Petrum Bykzadi, vestro nomine ad nos misissetis, declarantibus ipsis intelleximus tribulationes, angustias et calamitates vestras, quas per Turcorum incursum nouissime percepistis. De quibus licet maxime doluerimus et tanto maiorem conceperimus animo molestiam, quanto vestrum incommodum Maiestati nostre magis quam alteri cuipiam iure dolendum sit. Tamen id nobis graue inprimis et molestius est, quod ad alia maxime urgentia Regni nostri negotia occupati et distracti, defensionis vestre personaliter non possumus, propterea maxime optaremus, succurrere, et nos ipsos iuxta desiderium nostrum exponere in protectionem vestram. Nec dubitetis, quod ubi Deus hisce Belli occupationibus, ad quod hostilis insultus et maxime Regni nostri defensio nos excitauit, propterea spes nobis optima est, liberaverit, non parcemus laboribus, non expensis, sed et personam et vires nostras pro vestra defensione et statu illius Regni nostri recuperando libentissime exponemus. Verum ne nobis interea ad alia intentis et occupatis, Regnum illud et vos (ex negligentia) maiora suscipiatis dampna et iacturas, providendum duximus, ut ad communem Regni illius defensionem communia omnium vestrum auxilia concurrant, ut collatis inuicem viribus facilis Regnum incursandi infidelibus eripiat. Commissimus itaque fidelibus nostris Magnificis Johanni Thuz de Lak et Ladislao Egervara, Regnorum nostrorum Sclauonie et Croacie Bano, ut vobis vnam generalem Congregationem in-